

1978

N

11




[57M]



AD
VIRVM ILLVSTREM
DANIELEM WILHELMVM
TRILLERVM D.
CONSILIARIVM AVLICVM REGIVM
ET IN ACADEMIA LEVCOREA
PROFESSOREM MEDICINAE PRIMARIYM
AMICVM
SVB VETERIS SANCTIORISQVE NECESSITVDINIS VINCVLO
ET SIMILIMO VITAE FATORVMQVE CVRSV
AESTVMATISSIMVM
QVARTA DE BELLO QVERELA
POST SVVM EX ITINERE HOLSATICO REDITVM.
D. G. G. RICHTERI.

Kapsel 78N11 [8]

44

Littera Richteri Tibi fert TRILLERE salutem,
 Si modo ferre illam, qua caret ipse, potest.
 Contactu lenire cupit tua vulnera molli,
 Et sua leniri sic quoque posse putat.
 Si tremat illa manus, qua crudum attingitur vlcus,
 Culpa tamen vix est, non tetigisse, minor.
 Dum iactamur adhuc aduersi turbine fati,
 Dum patet in curas area lata nouas,
 Phoebusque obnupsit nubis ferrugine vultum;
 Consolandi ardet mutua cura magis.
 Fata trium annorum, quae sunt asperrima visa,
 Tam grauidum acrumnis non habuere suum.
 Saecutiae numeris quartus magis eminet annus,
 Omnia crescentis signa furoris habet.
 In vasto titubans iam gurgite cymba debescit,
 Haurit aquam & nondum frangitur ira maris.
 Flebilibus iactant omnes sua damna querelis,
 Gottingae effusi militis arma fremunt.
 Vel duris fors dura potest haec nostra videri,
 Hoste tamen non est iudice dura satis.
 Quam misera sub nocte iacent spes nostra diesque!
 Quot non telorum proxima meta sumus!
 Tu pia posteritas patriae tot vulnera flebis,
 Nunc taciti gemitus pondera vocis habent.
 Vix verba & planctus reperit mens saucia luctu,
 Fine carent turbae, sine vorago mali.

Prima quidem facies clementior exstitit anni,
 Promisit spicis horrea plena Ceres.
 Sacua quibus nullum panem fortuna reliquit,
 Hos iam frugiferi spes refocillat agri.
 Condendae feruent pariter molimina pacis.
 Breda tuo, an fallor? surgit oliua sinu.
 Hanc offerre probrum non est victricibus armis,
 Ad Mindam victis est renuisse probrum.
 His inimica magis diuo sub foedere mens est,
 Acluat in noxas promior ira nouas.
 Nostra aduersus eos multis legionibus aucta
 Sub duce FERNANDO cogitur ire manus.
Viribus

Viribus & numero non par fletit ante sub armis,
Munere nec fungi vindicis apta magis.
Sui potior vel pacis amor vel gloria belli,
Praesidiis nostra est, undique cincta salus.
Haec sibi securam spes credula dicit in arcem,
Et de proventu diuitem messis ouat;
Ignara, has fruges cessuras hostibus esse,
Ignara, hos ad se iam reperisse viam.
Heu quae tempestas furibunda sub aequoremersit!
Nullam vel tenuem fert Palinurus operam!

In tanta an pergam iam scribere nube dolorum?
Vel legere in tanta Tu quoque nube velis?
Cladibus a nostris oculos abducere nitor,
Tristior at vestrae cladis imago subit.
Heu ruit in cineres tua gloria Leucoris alma,
O quondam in studiis fida magistra meis!
Fulminei plumbi praegnavit sinus euomit ignes.
Quem non sub tali percudit imbre paucis
Diruit illa manus, quae visa est velle tueri,
Euerit templum, moenia, valla, domos.
Pingis terrores animi TRILLERE, sed illos
Hocce meum pariter cor penetrasse puta.
Et metui, ne flamma tuas depasta sit aedes.
Indulsit somnos haec mihi cura breues.
Non aliter Dresdam nuper furor igneus haust.
Cor Tibi tunc tremuit contremuitque mihi.
Tecum exclamaui perterritus: Ilion ardet!
Ex aeni fastis excidat atra dies!
Vrbs antiqua ruit, fere nunc miserabile bustum est.
Haec sunt armatae ferrea iura manus.

Non iuuat obtutu hoc totam demergere mentem,
Est intervallo, quo recreemur, opus.
Vt sensum obrundam cladis, reuocare licebit
In proprio nuper gaudia nata sinu.
Aestiuum hoc iter est: dedit haec Deus otia nobis,
Aduersa vi ferrem lenius, illa dedit.
TRILLERO, o elegi! quae tunc sunt gesta, referte,
Obuius en placidas porrigit ille manus.

* * *

A 2

Nuper

* * *

Nuper ad Hollatos, alia qui pace fruuntur,
 Pace, cui non est nostra per arua locus,
 Armorum rabies cum recrudesceret, iui.
 Iam stabat nostras Hannibal ante fores,
 Iuissem citius, sed Tu TRILLERE fuisti
 Promisso accessu fontica caussa morae.
 Nempe redemissem multis terroribus hostis
 Spem caro his oris hospite posse frui.
 Nec Filcheri aditum curassem, cuius ad iram
 Cor mihi nonnulli clam trepidasse putant.
 Cur hoc? au credam musarum imbellia tela
 Vlcisci armatum, qui peracuta gerit?
 Nescit, forte etiam spernit sine vulnere vocem,
 Versiculos noxae gnarus habere nihil.
 Sit fors lauta viro, secum sua facta reuoluat,
 Militiae reddant vincla soluta pium.

*Ipsa solutus iis, quibus aequum est cedere, vincis,
 In gratam accingor concitiorque viam.
 Trans Albin propero, frondens vbi perstat oliua,
 Gens habitat comis, candida, pacis amans.
 Hic vixisse olim, nunc est meminisse voluptas,
 Nunc, quia bella premunt, est abiisse dolor.
 Ceu patriam colui quatuor per lustra secundam,
 Transtis hic acui flosque vigorque mei.
 Et nunc praerberet sedem, nisi fallor, amicum,
 Naufragii inque metu littora ruta daret.
 Sufficit in praesens, dilectam inuisere terram,
 Tantisper belli spernere posse minas.
 Laeti progredimur, nunc ecce crepuscula sistunt
 Urbem, quam petimus: terminus illa spei est.
 Silesicum video, salue vrbs, salue incola quiuis!
 Rem bene sub tanti numine Regis age.
 Affines saluete domus! quarum incola virtus,
 Cuius & in facie prolis imago sedet.
 Ecce domum, de qua quondam mihi filia cessit,
 Vitae grata comes, iam quoque grata viae.
 O mea! in amplexus properemus & oscula fratrum,
 En desiderii lactitiaeque notas!*

Dulcis

Dulcis iis soror es, de pluribus vna superstes,
 Priscus in agnato sanguine feruet amor.
 Frons laeta occurrit, vox blanda & pectus apertum,
 Non habet illecebras festa culina pares.
 Hospitii tam sancta licet vix fingere iura,
 Quin fuerint nobis praestita sancta magis.
 Nunc, qui coenobio debet sua nomina, lucus,
 Nunc decoris testes regius hortus habet.
 Crebro FÜRSENIUS, Podalirius ille suorum,
 Ad celebres comes est laude fideque viros.
 Sorte sua exultant ciues, dicuntque supremum
 Sub tam pacifico viuere Rege decus,
 Vique diu vireat sacrato in vertice laurus,
 Libant in sacris pinguis thura focis.
 Sunt haec regna Numae, qui iusserat arma silere,
 Nec nisi sacra inter festa sonare tubas.
 Ditia pacatae dant vestigalia terrae,
 Non legum frenis ira soluta ruit.
 Nullas insidias praedator oculibus avertit,
 Hostilem baud implet barbara praeda mamum.
 Securo custode suo pecus omne vagatur,
 Officiisque cohors certat amica suis.
 Heu! ruitis celeres, nec credo redibitis horae,
 Est via longa nimis, spes nimis arcta senum.
 Hinc ego dum cupio pariter timoque reuelli,
 Addo tot elapsis tres quatuorue dies.
 Discedo, o nostri! sed pes immobilis haeret,
 Fixa sub amplexu brachia nostra manent.
 Nomina sic imis haerebunt fixa medullis,
 Sic vestri ante oculos signa fauoris erunt.

 Ad tua digredimur nemorum peramoena vireta,
 Stubba, domus Cereris GOESSELIQUE tui.
 Hic Pomona habitat, sedet hic in gramine Flora,
 Nullaque rixarum semina spargit Eris.
 Connubium felix naturae admiror & artis,
 Hic Dryades saltant, Nereidumque chorus.
 Temperies coeli resouet cum corpore mentem,
 Qui sedem hic reperit, vendit in vrbe domum.

Fida tuo & nunquam mentita, o villa, colono
Frumento, fructu, germine, flore placeas.
Propter opes proprias alienae haud indiga frugis
Iniciis hospitibus vincula grata tuis.
Munera profundis: placidae sed frontis honore,
Nullus herum superat, nullaque vinei heram;
Quos sibi quosque Deo concordis foedere sifos
Tu paradisi instar villa beata tenes.
Sinceram & dulcem praebent tua rura quietem,
Prospera quam fors est, his tenuisse locis.
Peruasi Idalios lucos & mille recessus,
Blanda per arboreas sibilat aura comas.
Protexit viridis nos ilicis umbra sedentes
Ad mensam dapibus lautitiasque grauem.
Pro tot, villa, tuis grates hic accipe donis,
Nestoris in longum protrahere fata tui.
Hic praestare suis arvis viridaria coelis
Nouit, obique tamen Numen adest esse precator.

ACKERMANN trahit nunc ingens impetus ad te,
O mihi dulce caput, deque sorore nepos!
Obuius haud nobis linguae sed cordis ouatis
Hospitio recipis nos animoque simul.
Iam coena exspectat fessos genialis & vincta,
At coena alliciunt hospitis ora magis.
Iura domus, sua regna offert, consentit & vxor
Fautorumque vocant ad sua festa gregem.
Ne quid amice nimis! tantum re laetor in vna,
Vt sis, qualem opto, sospes amanisque mei.
Doctrina, ingenium, probitas & gratia morum
Sunt Tibi fortunae semper eruntque fabri.
Militiae Gottingae Te castra secutum
Hinc reuocare iterum sub sua signa cupit.
Ob cultam assidue laetis successibus artem
Mox decreta tibi sparta docentis erat.
At tuebas votisque tuis nunc ipse resistis,
Quid faciat, quem rot fortia vincula ligant?
Me totum excussit, scribis, sum prior in vos,
Vltro Gottingae nomen amorque mouent.

Saepe

Saepe memora, quantum studiorum debeo matri,
 Vix dubitantem animum labi vacare reor.
 Hortatorque novis impellis amuncule neruis,
 Quem contra haud minor est arma movere pudor.
 Verum ignosce, mei non est tibi plena potestas,
 Hac rerum facie nec tibi credo foret.
 Nil ultra! culpam me iudice diluit omnem,
 Tot belli aerumnis surripuisse caput.
 Iam te tantum onerum nobiscum ferre dolerem,
 Qui transire vides hos sine nube dies.
 Pindam pace frui patrium tua Kilia gaudet,
 Nec faciles aditus ad sua sacra negat.
 Maternum ecce suum simili Tibi munere pandit,
 Res etiam quondam visa favera meas.
 Doctorem in sacra selemniter acie creavit,
 Viditque in cathedris saepe stetisse suis.
 Cum socios inter vitae MOSHEMIS esset,
 Carus OFORINVS iunctus amore pariter.
 Quos mecum fari tempestas expulit ambos,
 Dignata bis iterum consociare locis.
 Prouida dat coeli manus utiliora negatis,
 Et sarcit primae vilia luera spei.
 At quid prisca moror? mos ACKERMANNE senilis
 Elapsae aetatis respicit astra nimis.
 Rumpere per cuneos pugnantis amoris oportet,
 Vincere sed metuens ipse repugno parum.
 Effluxere dies octo, tanquam unicus esset,
 Officii nondum cura calorque tepent.
 Inde silent veteres inter noua gaudia luctus,
 Sensumque obscurum plaga remota parit.
 Quo propero? belli est sedes, quo tendimus, inquam,
 In barathrum forsitan me mea fata trahunt.
 Haec tamen impellant, reditumque hoc nomine poscunt
 Fas est communis damna subire mali.
 Dico vale, dilecta domus, fortasse supremum,
 Florida cumque tuis vrbs regioque vale!
 Credo tuis oculis species abeuntis inhaeret,
 ACKERMANNE, animi nuntia fida meis.

Maioresque instat luctus, dum morte perempta est
Cara Tibi mater, cara mihique soror.
In praesens latet ille dolor, me confero Prezam,
Dumque nouum hospitium tristis inire paro,
Hem quot amicorum genius bonus obicit umbras?
Ad rhedam effusus plaudit ouatque eborus.
Obstupui, pressique pedem dubiusque pependi,
Num, quos deserui, rursus adesse putem?
An magis agnoscam delusae somnia mentis,
Vel demum incipiam credere spectra senex?
Tango umbras, oculosque frico, do vocibus aures,
Sic vestram amplector, pectora cara, fidem.
Mensae sunt pestiferae, dapibusque replentur inentis,
Quis praecursorum non genus illud amet?
WEGNERVM hos inter video & cum coniuge gnatam,
O mihi laudandum terque quaterque virum!
Quem cum FÜRSENIO, velut olim utriusque parentem,
Donec in hoc restat corpore sensus, amo.
Ter septem ante annos utroque ornasse recordor
Hunc Pindum & nostram condecorasse domum.

1768
Contendo Vtinum. Sors quondam hic prospera sedem
Fortunae stabilem remque domumque dedit.
Rex hodie Sueonum, quem Numen seruet ametque,
Et regni iubeat frena tenere diu,
Tunc Lubecensis Princeps & Episcopus aulae,
Hic nobis medicae tradidit artis opus.
Detulit & proprii tutelam corporis ad nos,
Cumque Deo tulimus saepe salutis opem.
AVGVSTVS frater, qui iam suscepit habenas,
Cum diuina audit conige gentis amor.
Quam seruent animi pro tanta utriusque salute,
Me mea tot precibus iungere vota iuuat.
Clementes vidi nunc inter prandia vultus,
Quam fuit alloquio gratia summa comes!
Sic caput Vtinum prae multis vrbibus effers,
Multis, quos colui, iam tamen orba viri.
Restat amicorum veterum vix vnus & alter,
Wegneri recipit nos viduata domus.

Qui que

Quique sacras leges vita velut ore tuetur,
Vt bene sit nobis, id BALEMANNVS agit,
Lubeca elapsus nouus ecce superuenit hospes,
Suauior incertum est, sit mihi sitne Patri?
Aduolat, inque sui laetus ruit ora magistri,
At celeri, vt venit, sic pede rursus abit.
Urget amor nostri, sed amor quoque muneris urget,
Fila pie abrumpit, fila resumat amor.
Hic BALEMANNE Tibi, cum nos Lutetia quondam
Iungeret, est natus, prima propago domus.
Formasti puerum, Gottinga instruxit adaltrum,
Doctōris titulos haec mea dextra dedit.
Iam vidi eiusdem virtutum in tramite fratres,
Sint pariter patriae lumen honorque domus.

Prima viae ac voti sed & ultima meta fuisti
Hamburgum, eximiis vrbs habitata viris.
Ad belli haud trepidas casus, tibi nititur omne
Mercatu, studiis, religione decus.
Florent & medici, quos CROPPIVS eminet inter,
Atque salutifera SEPIVS arte potens.
Hos Gottinga suis inter pia gaudia iactat
Vidisse in numeris in gremioque suo.
Vjos me pariter duce tunc vel & hospite vidi,
Nactos eque mea digna brabea manu.
CROPPIVS aeger adhuc epulum tamen instruit, a quo
Haud decor, haud splendor, vix quoque luxus abest.
Cumque aliis medicis venerabilis ille Machaon
HANNEKEN accumbit, maximus artis honos.
Hanc etenim quis non octogenarius ornat,
Plus habet ille aevi plus meritiue senex.
Nec minus eluxit tua tam proluxa voluntas,
SEPI, o dilectum dulce probumque caput?
Te fratresque colo magni cineresque parentis,
Vxorem ac fausti germina bina tori.
Nil, quod amas, odi, nec in ipsam denique noctem
Protractas coenas; nam tua talis erat.
Sat coenis dedimus Siculis, instare culinas
Nunc inopes video degeneresque nimis.

C

Aera

Aera spiramus, postquam traiecinus Albim,
 Per quem plus renouat bellica fama metum.
 Te, Gottinga, tamen nunc rursus ab hoste relictam
 Ad tranquillae hiemis spem rediisse ferunt.
 Progressu hinc celeri cupimus nos reddere nostris,
 Spes redit, ad proprios posse sedere focos.
 Eimbecae sed tota spei dispergitur umbra,
 Haud ultra, acclamant, quisquis es, ire licet.
 Vecturae genus omne tibi iam scio negari,
 Infelae rapiunt obuia quaeque manus.
 Casibus edoctus sua quisque pericula virat,
 Et reditu excludi currus equique timent.
 Hostili Gottinga tremet sub milite, tanquam
 Hoedus inhumani raptus ab ore lupi.
 Iam mense elapsa crebra est inuasio facta,
 Quin studiosi etiam caede cruenta fuit.
 Acrius in praesens mixti cum Saxone Franci
 Vltricius iactant bellica iura manus.
 Miles equos, currus, frumenta & gramina tollit,
 Pagi saepe carent arbore, fruge, domo.
 Id quoque, quod secum nequeunt abducere, perdunt,
 Merx ingens pretium, res & edulis, habet
 Haec referunt, aliumque gradum, quo detonet ira,
 In tantis aiunt vix superesse malis.
 Sic bis quinque dies Eimbecae absunere cogor,
 O tristes steriles illepidosque dies!
 Nordhemum extortis mens impulis ire veredis,
 At pauidus retro vector adlegit equos.
 Moque repugnantem, metae cum proximis esset,
 Retrabit Eimbecam: nec procul hostis erat.
 Tandem ad te redeo missis Gottinga quadrigis,
 Salue! o quam iustis imbribus ora rigas!

Heu, quod eras, non es! facies quam decolor ista!
 Quae sacra adspectu tamque decora fuit.
 Sic tibi cuius erat laeti paulo ante coloris,
 Iam nubes oculos ora genasque regit.
 Hinc vel crura gerit, dum marcescit, arundinis instar,
 Vel sanie oppleto, ceu pepo, crure tunet.

Nam

Nam corpus vitiant aegrae contagia mentis,
Frena negat plangens clamque palanque dolor.
Ingentes numeri nostris sub moenibus haerent,
Plus quam vicenos continet una domus.
Hanc fouet arcta tremens & opaca domuncula turbam,
Illa tamen rudior ius epulare petit.
Vnde miser fumat, sua quem ieiunia frangunt?
Esurienti haud est tutus in ore cibus.
Praeterea hospitibus lectos dare mille necesse est,
Stramen hero attritum vile manetque toral.

Fertilis haud pridem regio, quam marcida nunc est!
Casibus insultat lingua proterua tuis.
De te, quidquid habes, cuius sibi conuenit usus,
Tanquam de quercu ligna cadente legunt.
Quot iugulum cultris, o infans uictima, praebes!
Quam luget raptae incolae ruris opes!
Aspera Willmannum & Montaltum cura fatigat,
Te circum cunctis ut sit inane locis.
Quae coluit taurus, vomer, labor improbus arua,
Vepribus & spinis obstita tota iacent.
Quas urbs complexa est praegnantibus fructibus hortos,
Quaeque suo sonit germina laeta sinu,
Cedunt in spodium, lactuca, tubera, bulbi,
Porrum, apium, raphanus, brassica, pisa, sifer.
Nec modo tot miles cum succis mitibus herbas,
Et tot ab arboribus poma nuceque rapit,
Sed quoque non dubitat spoliata excindere stirpem,
Vix arbor, frutex plantaque tuta manent.
Diruit aediculae hortorum, umbracula, sepes,
Et venum exponit fragmina, pauper emit.
Intra urbem nostro par fatum contigit horro,
Deleti ad spectum mens oculisque fugit.
Grata fuit requies curaeque senilis asylum,
Posthaec hostilis praeco furoris erit.
Quid damnum commune queror? non illa pepereit,
Dura manus iuris ad sacra templa sitis.
Extra urbem sterilis, deserta inanoenaque terra est,
Quae tamen haud pridem floridus hortus erat.

Omnia sunt protrita fere & sine limite mixta,
Quis dicit? meus est hic ager ille tuus.
Porticulas oculus frustra & topiaria quaerit,
Haec sane inmiti fini lacerata manu.
Praefecti haud prohibent; aiunt, ius militis esse,
Vel domuum ipsarum strage parare focos.
Qui si forte tepent, disfringere saepe minantur
Cum mensis fellas, scrinia, scamna, fores.
Cuius lignum humeris e silua asferre tenetur,
Custos cunctantis tergora fuisse notat.
Nunc glaciem in fassis urbis excindere iussus
Venarum adstrictis fontibus ipse riget.
Et quae possuntur quouis in mense tributa!
Quam spurco luitur carcere culpa morae!
Vilia vix restant inbonorae munera vitae,
Conglobat in cuneum se quasi turba mali.
Quod pretium est vitae tali sub lege ruentis?
Iam Scythae, si confers, mitis habendus erit.
Ecquos tu siles nosti, quos vincere possit
Humani cordis per fera bella silex?
Hostis quid faceret capta crudelius urbe?
Spes vana in facili deditione fuit.

Ille potest implere dolor vel pectora dura,
Infestas animas ille mouere potest.
BROGLIO ait: miseret miseros tot reddere ciues.
At miseros belli reddere iura probant.
Sunt haec verba parum mulcendis auribus apta.
Sub dura nihil est conditione spei.
Ius belli e factis acui in systema redactum
Doctrinae horribilis quid nisi virus alit?
Aequum conculcat iustumque, quod obligat omnes
Bello obbrutescit particula ipsa Dei.
Barbara vox & res sunt represalia iura,
Vis premit innocuos, innocuique luunt.
Improbata facta sequens gurges corruptior acui
Arbitrii normam non probitatis amat.
Virtutis vix magna sitis sed maxima famae est,
Plebs non heroes vincula legis habent.

At

At bene moratis populis est vincere fallax,
 His, qui se dedunt, parcere maior honor.
 Victores placidos hominum vox una coronat,
 Durorum diris deuouet vna caput.
 Gens pia praeceptum nunquam violabit amoris,
 Quo tanquam aeterna lege tenetur homo.
 Haud oblucentes ipsa inter bella tueri
 Scit, si Numen amat, numeris esse sui.
 In domini ad tempus non transit iura tyranni,
 Quid meruisse potest agmen inermis mali?
 Quod nescit, curaque parum, quo nomine reges
 Inter se regni membra reuulsa petant.

 Fas certe ingenii suspendere flumina non est,
 Sint salui, quotquot Palladis tber alit.
 Suggestit haud bellis academica Pieris ignes,
 Quin minimi potius laedere iura verat.
 Non tegimur galea, nec acuto cingimur ense,
 Musa librum ostendens, haec, ait, arma gerat.
 Ex variis ad nos iuuenum flos confluit oris,
 Cumque his in patriam messis opima redit.
 Pars dispersa quidem est, restis tamen altera, priscam
 Nos penes ingenii cultibus esse locum.
 Iussit eum numerum, qui restat, inire tribunus,
 Et quingentorum circiter ille fuit.
 Hinc bene de cunctis quibus vna est norma merendi,
 Hos violare pudor Martia corda verat.
 Nec defunt Francis generosi signa pudoris,
 At mala, quae patimur, vix bona verba leuant.
 Verba vide, & nihil est Francorum humanius ore,
 Foeda vide, asperius dixeris esse nihil.
 Pars eadem coeli Boream non spirat & Austrum,
 Os spirare vnum fasque nefasque vides.
 Nec decor in verbis perflat, iam plena repulsaie
 Perque aures nostras imperiosa ruunt.
 Parcere non domibus, quas denso milite stipant,
 Nec quoque contentis, sic velut ante, solent.
 Perreptare domos, foenum, frumenta, farinas
 Vinaque, quin etiam tollere ligna iubent.

Vel prius ista notant venturi in temporis æsum,
Si saluus miles, cuncta perire parum est.
Imminet at grauius fulmen, quod fudit Olympum,
Et sacrum tangit eunq̃ue stragore caput.
Rex moritur! gelat ora pavor, vox faucibus hæret,
Cor tremit, isque simul fertur ad ossa tremor.
Deerat hoc tantum fortunæ ad vulnera cultus,
Deerat afflicti ilias illa mali.
O Pater, o patriæ vindex & gloria terræ,
Cuius rota tua est fulva salute salus!
O ingens Superum manus, Rex inclyte palms!
Hæc æterna quidem est, quæ Tibi palma viret;
At nostro auxilio patriæ prius, aspera fata
Ante abitum ad Superos compositorus eras.
Effigies ramis tua cincta virentis oliuæ
Suspendi in pacis debuit aede prius.
In Te nixa stetit spes feruida rebus in arctis,
Iam retro, ut vereor, spes dabit illa fugam.
Hæc tua cura fuit bellorum inhibere ruinas.
Europæ est per Te visa redire quies.
Natus eras vitæ ciuilitis iura tueri,
Natus eras sanctum condere pacis opus.
Nec Tibi sufficit posuisse cubilia Mysis,
Noster & in Pindi culmine Phœbus eras.
Diuina eluxit supra præconia virtus,
Non ea maiestas ore canentis eget.
Hæc præuisa dies & ineluctabilis hora est,
Nec præuisa tamen tela timore carent.
Haud magis hic quemquam fas est lugere minusque,
Par cuncti ex tanto vulnere vulnus habent.
Totos attonitos Deus & Tuus erigit Haeres;
Hæc vna est tanto par medicina malo.
Tertius Anglorum tria scepra GEORGIUS ornat,
Ad diui exemplum nos tuiturus Aui.
Huius ad optatas deducet singula metas,
Aurea mox miseris otia pacis erunt.
Post tergum Bellonæ manus dabit impia vietas,
Illa procellosi temporis ira cader.

Moxque nouo Phoebi fulgebit lumine Pindus, ^{quod tunc is}
 Et iungent Masae templa nepotis Aue, ^{al. iom. Eo N}
 At seges ampla mali surgit sub mense Nouembri, ^{ubi}
 Hosti quo fixum est his hiemare locis, ^{tunc am quod E}
 Tentata ad Rhenum postquam fortuna sefellit, ^{ad. xiv}
 Ille sibi plaudens abnuat ire retro, ^{en. tituro idim. mal}
 Vi tutus lateat, subuectat saxa sedesque, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Et trabibus duris undique cingit opus, ^{q. obno. rolo. ho.}
 Aggeris emendat tutelam, & robora, valli, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Communit portas excubiisque regit, ^{is. b. non. ob. i. i.}
 Ad tormenta globos, glandes, mortaria, pilas, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Comparat arcendis hostibus apta suis.
 Iam quoque graminiibus templum est, non Numinē plenum, ^{ubi}
 Et Cereri haud Mysis docta palaestra patet, ^{un. v}
 Nostri hostem tentant munita expellere sedes, ^{is. q. r. i. i. i. i. i. i.}
 Milite mox urbis clauditur omne latas, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 LVCKNERVS crebris validisque assulibus instat, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Non riget hyberno frigore dextra, viri, ^{q. i. i. i. i. i. i.}
 Aucta ruunt passim per apertos agmina campos, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Fit crebro ante urbis moenia pugna ferocis, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Discernunt oculi, dum certant cominus arma, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Seforesque suis excutiuntur equis, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Stat prope FERNANDVS, parit hosti fama timorem, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 At quoque corrumpit gaudia nostra timor, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Nempe autumnus abest austrino squalidus imbri, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Qui, dum vota calant, irrita coepta facit, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Regnat in urbe fames, vacui furit insola ventris, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Arguit inuisas spes nimis aegra moras, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Plurima consumi, reparari pauca necesse est, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Multi sunt homines, aduebiturque nihil, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Vix emitur panis, nisi paruus, sordidus, ater, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Desunt butyrum, lac, cremor, ova, sales, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Quod forte occurrit, triplo iam venditur aeris, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Vel pretiis auctis, qui licitatur, emit, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Haud olus, haud adsunt ad dulcia liba farinae, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Potus abest, si non sobrius haurit aquas, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Raro exponuntur venalia pocula zythi, ^{is. i. i. i. i. i. i.}
 Potio quae tamen est mucida, crassa, grauanis, ^{is. i. i. i. i. i. i.}

At stis hanc condit, concurrunt undique cines, non impedit
 Ne carei laticis suavia dona putes, in regni tū
 Pro pretio, non quisquis eget, cappam accipit istam,
 Nec mihi sed paucis plus meritisque datur, in regni tū
 Si bene me novi, vix vesci glande timerem, in sup ista
 Vix haurire vndas, dummodo pace fruar, in sup ista
 Nunc mihi condit aquas, si praesto est, guttula vini, in
 Lac senis est vinum, vita senisque calor, non tunc in
 Sed calor vnde? parum sustentant ligna caminum, in
 Cumque his mox fugiet deficietque calor, non tunc in
 At modo non desit, quod militis imperat usus, in
 Musci assuescam frigora ferre mei, in
 Urbe interdium est, quis nisi mensibus, vnde in
 Vivat, cuius habet: nec reor vnus habet, in
 Vel si quis reperit per magna impendia tantum, in
 Vix meminit, longas militis esse manus, in
 Quis sua in hostiles imprudens colligit usus? in
 Maxima pars omni colligit arte parum, in
 Mercator, lanix, molitor, pistorque iubentur, in
 Militibus primum vendere, si quid habent, in
 Adstat enim, qui vi vel probris arceat ementes, in
 Quin & ab illorum retrahit emta manu, in
 Sic nimis amonae crescunt incendia nostrae, in
 Nec fuga fert demto pane focaque moram, in
 Et quia concessa est abeundi vtrinque potestas, in
 Magna famem metuens turba pedestris abit, in
 Quin studiosorum carum dilabitur agmen, in
 Et fere ducentos dissipat vna dies, in
 Dum sic aufugiunt squalente sub aere multi, in
 Mox pede sollicito molior ipse fugam, in
 An pede? qui senio quin & terrore vacillat, in
 Non iam currus adest, quoque uehamur, equus, in
 Haec ausis etiam pretiis vix obuia res est, in
 An mordere famas iam tua frena velim? in
 Subsisto, aditusque patent mox rursus ad urbem, in
 Externaque fame est nostra leuata famas, in
 Extrorsum abscedunt, qui nos magis hostibus ipsis
 Frigora uegebant esuriemque pati, in

Quid

Quid iuuat, hos etiam tennes consumere fruges,
 Quorum expectata nil refouemur ope.
 Excludunt rigide, quibus indiget incola, merces,
 Quas extremi usus vita requirit inops.
 Littera vix transit nisi fracto inspecta sigillo,
 Ad nos nulla redit, quin sit aperta prius.
 Intereunt aliae, quarum plus transitus orget,
 Insuper e damno est hinc oriente dolor.
 Proditā vel misere turbata domestica res est,
 Claudio visa gradu publica stare fides.
 E silice & ferro circa praecordia venas,
 Sit modo vi potior, miles uterque gerit.
 Vix disciplina est belli nisi nomen inane,
 Quauis parte pudor, lex pietasque silent.
 Mussitat haec vanaeque spei ludibria luget,
 Nec rationem audit, quae caret aure fames.

 An vos iam iubeam Iani saluere Calendae?
 At vacua est solito munere vestra manus.
 Anni nunc iniri lacrymis pia thura rigamus,
 Ceu vana abrupit mutua vota timor.
 Terrores non bruma leuat sub solibus arctis,
 Nemo parat templum claudere laeue tuum.
 Dedignantur adhuc suspecta silentia pacem,
 Et belli accendunt impia vota faces.
 Februa cui nomen fecere piacula, mensis
 E longinquo aliquid praebet alitque spei.
 Ir nostras TRILLERE dies euoluere coepit,
 Hinc pridem est nobis hinc bodieque sacer.
 Hausimus hoc vitae primis vagitibus auram,
 Bis Tibi quinta dies, quae mihi quarta fuit.
 Hoc tribus elapsis annis ter epistola nostra
 Missa Tibi mensē est, hoc Tibi quarta venit.
 Illarum indicio tunc non fuis hostis in orbe,
 Iam sperare ausim, mox quoque nullus erit.
 An Mars Francorum parat vltro condere vltum?
 Certe e vicinis coepit alire locis.
 Witzenhusa abiit, praesentem haud amplius illum
 Münda velut nuper, non Hedemünda vider.

Mersit aquis partem frumenti & perdidit igne,
 Collectam ex inopum cunq̄ue rigore manū.
 Cassellas inter nostramque abscinditur urbem,
 Vnde noua huc hostis vis penetrare queat.
 Regibus hic binis sacer est, qui stringitur ensis
 FERNANDI, circa hunc ignea corda fremunt.
 Illa viget virtus hiemali exercita coelo,
 Quae durata diu sole geluque fuit.
 Feruida an in gelidis metuamus praelia campis?
 Sollicitos poterit plura docere dies.
 Hic vero abrumpo, nolim Mars horridae mensis,
 Quem cras ingredimur, tangere fata tui.
 Iniiciet Deus ipse mari sua frena tumentis,
 Spem miser inde suam, robur inermis habet.

Lingua sile, nondum est nostrum immedicabile vulnus,
 Sustine, habent aliquam commoda magna moram.
 Non nisi inhumani trahitur dulcedine belli,
 Quod grauis exitii tot documenta dedit;
 Quodque suis trepidas exhaussit ciuibus vrbes,
 Sive sitim praedae sive cruoris alens;
 Priscaque diuulsi lacerauit foedera mundi
 Ambigua aut lenta iam coitura fide.
 Spes vaga ludit eum, cui nunquam est sobrius ardor,
 Quem nisi militiae gloria nulla trahit.
 Ambitio in pacem dextras coniungere differt,
 Multas ex voto res cecidisse memor.
 At fallit fortuna suis successibus anceps,
 Quae manet in nullo certa tenaxque loco.
 Palma virens hodie verso cras ordine marces,
 Praecipiti casu, quae valere, ruunt.
 Nil non mortale est rebusque affine caducis,
 An legem interitus praecipitare decet?
 Sunt inopes, quotquot pacis sine munere viuunt,
 Omnia habent, quotquot munera pacis habent.
 Si modo concussi motus sedabitur orbis,
 Mox Saturni iterum tempora regis erunt.
 Absit, ut in bellum nonus error commodet iras,
 Desinat heroum bile timere secur.

In cunctorum animis belli est abolenda cicatrix,
Divisa in partes pectora iungat amor.
Inter bella ferox patris mansuescat ad artes,
Omnibus una quies consulat, una salus.
Inque suis bene sit pacato sinibus hosti,
Spem patriae & verum prouehat ille decur.
Lilia iamque domi vireant, seges aurea Francis,
Hic, quae bella ferunt, lilia nulla virent.

* * *

Haud TRILLERE fuit mihi mens iterare querelas,
Promissi an videor deseruisse fidem?
Pacem inflare ratus planctusque arescere fontem
Nimbi huius fateor me caruisse metu.
Nunc, postquam inciderat, quo nullus atrocior ante,
Hoc Tibi posse queri mihi leuamen erat.
Mens velut exonerat magna se parte malorum,
Ex imo quoties euocat illa sinu.
Vrit cura nimis, cuius vis figitur intro,
Sensum, ubi dertonuit, lenit onusque leuat.
Excidit hinc calamo, quod rursum abolere licebat,
Nam non, quod genui, protinus illud amo.
At quia restaris, multum Tibi nostra probari,
Vincula promissi Te renuente cadunt.
Sat scio, ad hos questus Tibi nondum occalluit auris,
Et facile ignosco questibus ipse meis.
Vulnus biat, queruli quis damnet signa doloris?
Spe veniae haud planctus nec ratione carent.
Casibus hisce senes nos o fortuna reseruas,
Quos belli nunquam terruit ante furor.
Egimus hos quatuor crebris in luctibus annos,
Saciuit in nostros una procella lares.
Ex Te disco mea haec, ex me tua vulnera discis,
Cognita cum gemitu sunt tua damna meo.
Nolim equidem, vi veniat dolor in tua pectora nosster,
In mea ne veniat, vix prohibebo, tuus.
Nec tamen illa tuae titubat constantia mentis,
Nulla times fortis vulnera, nulla necis.
Ostendis vultus in vitrauis sorte serenos,
Duratique animi nobile robur habes.

Forſan

E 2

Forsan ob hoc robur Te dignum fata putarunt,
Qui mala, cum tuleris plurima, plura feras.
Mens mea, dum vires duris e casibus hauris,
Iam memor exempli colligit inde suas.
Virtus pressa magis sub nixu ut palma resurgit,
Lussis per nebulas lucis imago micat.
His animum fulcit, nescire opprobria culpae,
His est ferre minus quam meruisse malum.
Contra torrentem fati quis brachia iacet?
Iurato arbitrium est in sua tela Ioui.
Per scabras ducit virtutum semita rupes,
Hanc in ponte Cocles, Scaeuola in igne probat.
Plusque probat sapiens postremo in limite vitae,
Quo se pariter oneris scit posuisse senex.
Ille igitur quasae complectens membra carinae
A portu optato gaudet abesse parum.
Cum superisque piū luctata modestia voti
Numen, ait, laceratae est anchora certa ratis.

Mox etiam, TRILLERE, dies Tibi candidus ibis,
Et dabitur senio candidiore frui.
Vitae fata dabunt extremam attingere metam,
Pax in Apollineum Te sinit ire nemus.
Credo reuiuifcet languentis pectoris aestus,
Quique mouet vates, impetus ille sacer.
Serta Tibi nocent Musae de pace canenti,
Quas puto vel Phoebi posse decere comas.
Purior aura Tui spiret de vertice Pindi!
Ad priscum redeat Leucoris alma decus!
Promissum sed nuper iter differre cauebis,
Crebrius obstrinxit missa tabella fidem.
Sospes, Amice, veni, lactoque sub omine pacis,
Obsideant nullas hostis & arma vias.
Absit, ut amplexus nostros metus inquinet ille,
Quorum nos adeo iusta cupido tenet.
Finis erit, si Te sciero venisse, querelae,
Vix forte hoc ipsum, bella fuisse, sciam.

Gotttingae die XXVIII mensis Februarii A.R.S. c1010cclxi.

VD-18

ULB Halle 3

006 817 750





AD
VIRVM ILLVSTREM

DANIELEM WILHELMVM

LLERVM D.
IVM AVLICVM REGIVM
ACADEMIA LEVCOREA
EM MEDICINAE PRIMARIYM
AMICVM
TIORISQVE NECESSITVDINIS VINCULO
O VITAE FATORVMQVE CVRSV
STVMATISSIMVM
A DE BELLO QVERELA
ITINERE HOLSATICO REDITVM.
G. RICHTERI.

Kapsel 78/11/11 [87]

AK

